



Kun. Hof. Bibliothek Wien d. 10<sup>ten</sup> Februar 1806.



DE  
CVRATIONE MORBORVM  
ARTIFICIALI PER VLCERA

---

CONSENSV  
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
PRO GRADV DOCTORIS

RITE CONSEQVENDO  
*XXIII Sept.*  
AD D. XXVIII. M. AVGVSTI clo lccc LXI.

PVBLICE DISPVTABIT  
FRIDERICVS LVDOVICVS THIEL  
PETROPOLITANVS.

---

GOTTINGAE  
LITTERIS POCKWITZ - BARMEIERIANIS.





DE  
CURATIONE MORBORVM  
ARTIFICIALI PER VLCEBA

---

CONSENSV  
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
PRO GRADV DOCTORIS  
RITE CONSECVRANDO

AD D. SEVERI M. ANTONII EPISCOPI  
PVLICE DISSENTI  
FRIDERICI LAVOVICVS THEIL

RECTORIARIIS  

---

GOTTINGAE  
LITTERIS BOCHWITZ-NASSENBERGIANIS







DE  
SANATIONE MORBORVM ARTIFICIALI  
PER VLCERA

§. I.



Morbum sanare velle per morbum, res equidem videri posset maxime temeraria, cum symptomata non solum noua prioribus se sic addant necesse sit, sed et ipsae vires corporis fractae iamdum ab inhaerente morbo maius adhuc detrimentum per nouum morbum capiant. Atqui vero in hunc modum ratiocinari licet, quoad rerum usus, id vero est, experientia, unicum verum et firmum fulcrum artis nostrae, cui ratio ubique postponenda, contrarium ostenderit.

A

Hac



Hac autem monstrante nihil plus saepe confert ad morborum sanationem, quam nouus morbus per naturae vires excitatus, si mediante eo materia morbifica antiquioris morbi causa magis coqui, subigi et ad exitum praeparari possit, simulque post haec e corpore proscribi.

§. II.

Quemadmodum vero prudentis medici est, naturae vestigiis semper inhaerere, et quas ea curandi rationes seruat, has quoque, quantum eius fieri possit, feligere: ita nequaquam temeritatis ille accusandus est, qui, quum non raro ulcera in morbis a natura excitari, eorumque sanationem per haec praestari videat, idem illud efficere conetur arte sua: qua in re quidem quum non semper sine suo potiri queat, quemadmodum nec ipsa natura eum semper consequitur, magistram tamen hanc secutus officio suo sic satisfacit, neque negligentiae inculpandus est, quae ob- iici ei potius tum possit, cum hanc curandi rationem omisisset. Maxime autem mirum videri possit, unum morbum alteri saepe esse remedio \*), febrem neruorum distensiones aequae ac resolutiones finire, unum a deo febris genus, quod grauius, ab alio mitiori solui, continuam ab intermittente, quartanam a tertiana vel quotidiana;

\*) Haec observatio antiquissima est. Vid. HIPPOCR. *Aphor.* IV, 57. VI, 40. 44. § 1. VII, 52. et C. A. CELSVS *L. II. c. 8.*





scabiem item in mania succurrere, et quae sunt alia praesidia, quae natura corpori aegrotanti per morbos novos magis tolerabiles ac simul salubres praestat. Sed intacta haec omnia nunc relinquimus, cum a scopo nostro nos iusto longius deducant. Suffecerit nobis in praesenti demonstrare, ulcera artificialia corpori saepe esse praesidio. Quoniam vero maximum argumenti nostri robur ex ipsius naturae secretis desumendum est, ante omnia hoc agamus necesse erit, ut quam saepe natura ulcera in salubritatem corporum excitare consueverit, partim ut a morbis eadem praemuniat, partim etiam liberet, ostendamus.

§. III.

Quodsi vero ulcera sanationem praestare asserimus, non intelligendum hoc erit de omni eorum genere, sed de hoc duntaxat, quod prouido quodam quasi naturae consilio in cute, musculis, atque glandulis subcutaneis (in corpore vel adhuc sano, vel iam aegrotante) oritur: quod non ex toto prauum humorem, sed purulentum fundit: quod non erodit partes, nec serpit, nec male foetet: et per quod materia morbi sensim sensimque educitur, adeoque priora incommoda leuantur \*). Atque eiusmodi ulcera natura in omni fere aetate excitare consuevit, sic quidem, ut vel ex in-

\*) Cf. M. AVR. SEVERINI de recondita abscessuum natura  
L. IV. c. 30.





inflammatione topica ea paret, quae postliminio terminatur in abscessum, vel in singularibus partibus pustulas humorem lacteum siue purulentum concipientes et rubore quodam inflammatorio cinctas efferat. Non raro videas furunculos, unum, duo, plures subito enasci in infantibus, pueris, iuuenibus, decrepitis, singulis adhuc vegetis ac sanis: interdum et maiores tumores inflammatorios, quorum materies aliquando tardius in pus coquitur, vel sponte ortos sine morbo inhaerente, vel eo comite: de quo posteriori genere Exc. VOGELIVS, Fautor ac Praeceptor omni pietatis cultu mihi deuenerandus, casum mihi notabilem enarrauit in iuvene, qui cum aliquamdiu doloribus dorsi et capitis, cum artuum grauitate, adstrictione alui, atque tussi spastica conflictatus esset, nunc in femore sinistro tumore pallido rheumatico, et vel sub leuissimo cruris motu valde dolorifico corripitur, simulque simili, sed paullo duriore atque ampliore in extremitate scapulae subter axillam gliscente, qui ipse ad tactum valde dolebat. Isque tumor paullatim inflammari coepit inflammatioque processit cum ad thoracem, tum ad brachium. Elapsa hebdomade, cum tumor pus concepisse visus esset, is aperiebatur scalpello et ultra libram puris optimi fundebat. Breui post nouus tumor in altero brachio inflammatorius oriebatur, in quo lente pariter pus formabatur, quod similiter plaga facta euocandum erat. Vltimo tumor in femore etiam videbatur pus continere, cui cum impositus esset lapis infernalis, materia cutem demum per-





perrupit, tenuior quidem ac in brachio, et sanguine subinde intermixta, at neque acris neque foetens. Idque ulcus ultra trimestre spatium apertum mansit, cum priora confestim conglutinabantur; aeger vero inde ab omnibus symptomatibus, quae ante ipsorum ortum perpeffus erat, protinus liberatus fuit. Haecenus

**ILL. VOGELII casus.** Oriunturque et in aliis partibus sponte, praegressa aliquamdiu grauitate artuum, aliisque symptomatibus, quae futurum morbum alias praemonstrant, eiusmodi tumores inflammatorii, qui licet efficacissimis remediis applicatis discussionem tamen praefracte renuunt, et sub intensissimo dolore in abscessum terminantur: in primisque tales inter gingiuas atque buccas frequentissime oriuntur, in mediae praecipue aetatis hominibus. Adultiores et senes similiter tumoribus suppuratoriis in dorso aut ceruice nonnumquam corripuntur, valde magnis, indeque vel a futuro morbo praemuniuntur, vel a praesenteliberantur; id quod postremum rursus experientia **Exc. VOGELII** confirmare licet, ubi vir valde obesus, doloribus vesicae per aliquot annos immaniter conflictatus, nunc aliquamdiu inde valde leuatus fuit, postquam talis tumor inflammatorius in dorso per febrem excitatus fuerat: et quum deinceps antiquus morbus recrudesceret et per annum et ultra rursus torqueret, ecce iterum in dorso talis tumor ortus morbum denuo ad aliquod tempus mitigauit. Atque solent omnes eiusmodi tumores inflammatorii ac suppurantes, qui praesidio sunt corpori, in permultis typum quandam seruare, sic, ut





vel intra annum vel intra duos annos saepe recurrant. Spectat huc paronychia quaedam periodica in iuvene succulento, quam etiam obseruauit ILL. VOGELIUS. Interdum etiam tumores tales loca sua mutant, quemadmodum et idem ille narrauit in eodem iuvene ita contigisse, cui antea tumores inflammatorii in sura aliquoties eruperant, quibus elapso anni et ultra spatio deinceps paronychia aliquoties successit. Illud porro ipsius experientiae debetur, quod eiusmodi abscessus formentur in nonnullis, eo tempore, quo acuti morbi grassantur, quibus immunes certissime manent tales aegri. Etiam in ipsis febribus acutis et maxime lethiferis per metastasin quandam abscessus formari nonnunquam solent variis in sedibus, capite, parotidibus, sub axillis, in glutacis musculis et alibi, semper saluberrimi. Quid quod superatis febribus interdum natura, quicquid remansit de materia morbi, vel paullo post vel serius in artus et alia loca deponit et per modum suppurationis exturbat. Eiusmodi tumores pure pleni plerumque quidem a praegressa inflammatione formantur, interdum tamen et subito efferuntur, materia purulenta forte iam in ipso sanguine praeparata\*), vel ex loco laborante in alium translata: quale quid in pleuritide interdum usu venit. In infantibus vix mensis aetatem supergressis, interdum adhuc iunioribus, natura etiam ulcera in peculiaribus quibusdam locis, ad mammas nempe aut ad umbilicum excitat, quae quidem non sem-

\*) Vid. Illustr. ANT. DE HAEN *rat. medend.* P. II. c. 2.





semper bonum fortiuntur exitum, interdum tamen talem omnino assequuntur, sic, ut, qui antea admodum graciles ac extenuati fuerant infantes, nunc, ulceribus repurgatis ac sanatis, laete admodum nutriantur, optimaque fruuntur valetudine. De utroque exitu tam bono, quam lethali casum quoque mihi suppeditavit **Exc. VOGELIVS**, alterum in infante duarum hebdomadarum, qui ulcere in umbilico correptus, stipato latiore inflammatione ad palmae manus latitudinem, sub finem alterius hebdomadis subito materiam purulentam euomit atque paullo post animam exhalauit: alterum in infante duorum mensium, quod mammam sinistram occupans et per totum fere thoracem sinistrum, imo etiam ad dorsum se diffundens sanationem recepit, interiecto trium mensium spatio. De furunculis supra scriptum est, quod in sanis hominibus sponte saepe oriuntur: nunc subiiciendum quoque, quod etiam in aegrotantibus summa cum euphoria nonnunquam efformentur, siquidem materia morbi per naturae vires sic e corpore proferbitur. Notabile exemplum rursus mihi retulit **ILL. VOGELIVS**, quo pronuntiati huius veritas clare confirmatur, dum in virgine, per longum tempus convulsiones nocturnas (rarum morbi genus) experta, unicus ortus furunculus non magnus magnum levamen morbi attulit.

§. IV.

Ad ulcera ex inflammatione topica orsa ac in principalioris morbi futuri praesidium nata, cutanea illa cru-





crustosa rariora etiam referenda sunt, quae variolas non nunquam praecedunt proxime aliquot ante febrim variolosam diebus, et primo ipso febris die erumpunt nunc in facie, nunc in collo, aut brachio. Rariora omnino haec ulcera vocamus, quod paucissimis medicis datum est ea obseruare, et multi quoque ex his, qui integros libros de variolis scripserunt, eorundem nullam mentionem iniiciunt. Sed ad memoriam ea mandauit accuratissimus obseruator MORTONVS et ILL. ROEDERERVS, \*) Fautor ac Praeceptor multis nominibus colendus; atque visa quoque sunt ILL. VOGELIO in brachio pueri, quae tum parentibus suspicionem mouebant, ancillam forte ex incuria brachium infantis igne lampadis aut furni combussisse: aliquot diebus vero post cum erumperent variolae optimae notae et ad harum usque finem haec ulcera pus suum funderent, nihil certius erat, quam ut a materia variolosa fuerint excitata, inprimis cum illis ulceribus, quae ignis facit, nullo modo congruebant. Istiusmodi vero ulcera, Anglis *Master-pocks* dicta, variolae semper excipiunt benignae et mitissimae, prout rerum usus adhuc docuit, adeoque semper etiam faustissimum morbi euentum promittunt, simulque faciem a foueolis eam deturpantibus defendunt. Non eundem quidem laetum successum habent ea ulcera, quae variolis confluentibus interdum in facie et artuum iuncturis succedunt. Haec enim deterioris sunt indolis et sordida:

\*) Differt. utrum naturalibus variolis praesent artificiales.





nihilominus tamen non omnibus infensa sunt, etiam si ipsa ossa in consensum trahant ac erodant; sed, nisi humorum massa nimis corrupta sit, neque lenta febris simul urgeat, effectum bonum omnino promittunt, dum profecto morbosum quid inde e corpore proscribitur. Neque vero ille absurdum quid proderet, qui totum morbum variolosum, velut inflammatorium et suppuratorium, inter eos referendum existimet, suis sub limitibus quidem, qui corpus a concepto humore morbofo liberent. Vigorem enim ac nutritionem corporis postea increfcere animaduertimus.

## §. V.

Cutis affectus pustulosi et pruriginosi, scabies, psora, serpigo, impetigo, herpes, tinea capitis, quae pruritu, dolore, ardore, inflammatione et exulceratione molesta ab impuro sero acri, inter vascula exhalantia et fibrillas cutis nerueas stagnante, easdemque irritante atque erodente oriuntur, eam utilitatem non raro praestant, ut morbum grauem rebellem tollant, quem remedia tollere non potuerunt. Atque illi potissimum morbi, qui in systemate neruofarum partium radicem agunt, eiusmodi materia acri ad materiem corporis propulsa possunt solui, teste experientia. Innumerae prostant obseruationes auctorum, quae asthma spasmodicum, arthritidem, epilepsiam, melancholiam, paralyfin et alia plura mala per solam scabiem soluta commemorant. Vicissim quoque salubri-

B

tas





tas harum cutanearum affectionum ex eo intelligitur, quod iidem graues morbi, si ante tempus hae defoedationes decedunt, vel externis sulphuratis, mercurialibus, refrigerantibus tractantur, nunc in corpore propullulant. Suffocationem, phthisin, summas praecordiorum anxietates, hydropem, febres continuas, guttam ferenam, epilepsiam, paralyfin, arthritidem a retropulsis illis exanthematibus productam, in variorum medentium monumentis legimus. Quam salutaria vero sint ulcera, quae in puerili aetate in caput, in aures, ac ad reliquum corpus erumpunt, si saliuosi mucosique extiterint, iam dudum HIPPOCRATES cognouit, dum scribit, quod, qui his afficiuntur, ii procedente quidem aetate facillime degant, sicque purgati morbo fere comitiali minime corripantur, qui vero pueri neque ulcus ullum habuerint, his periculum esse, ne hoc morbo corripantur \*). Experientia porro satis clare testatur, quam bene his tempore, quo morbi acuti grassantur, consultum sit, qui scabie aut alia cutis defoedatione occupantur: hos enim certo immunes a grassante morbo epidemico pronunciare possumus. Multis in ciuitate nostra praeterita hyeme hoc beneficium naturae contigit, et aliqui etiam herpete in thorace et femore prehensi feliciter exitialem febrem euaserunt.

## §. VI.

\*) *Libr. de morb. sacr. p. 88.*







## §. VI.

Sed et alia ulcera salutarem omnino effectum quandoque edunt: quod hoc maxime phaenomeno se manifestat, quod illis temere ac importune exsiccatis gravissimi morbi superueniant. In aliis enim coecitatem, in aliis motus convulsivos, in aliis catarrhum suffocativum, apoplexiam, pleuriticam, phthisin, dysenteriam, scorbutum, pyalismum, gangraenam et plura alia non raro lethalia mala inde orta esse, observationibus sat multis habemus compertum. Interdum et nova ulcera proueniunt non semper salutaria. Neque ratio obscura est, cur noui atque diri morbi ipsorum exsiccationem subsequantur. Ulcera enim antiqua materiem corpori noxiam per fonticulum quasi eliminant; sique nunc exitus humoribus vitiatibus per hanc viam, cui natura adsueta fuit, praeccluditur, illi in humorum massa remanent, atque tum in has vel illas partes nobiliores delati saeuissima mala, et nonnunquam ipsam mortem inferunt. At haec cuncta vero eo non pertinent, ut arbitreris, nullum propterea eorundem sic candum et conglutinandum esse. Prudenti medentis consilio omnino perfanari possunt, dum ne nimis aliquis in curandis iis officiosus sit, neque modo ipsorum conglutinandorum curam gerat, sed et causas aliasque eorundem conditiones probe circumspeciat. His enim probe pensatis, prudenterque inter se comparatis, apparebit demum, sanari debeant an foueri; et si prius est, quibus auxiliis id optime fieri possit.





## §. VII.

Haecenus priorem partem nostrae tractationis absolvimus: progredimur ergo ad alteram, qua praestantiam ulcerum artificialium, simulque necessitatem in quorundam morborum medela demonstrabimus. Antiquis frequentiori in usu fuerunt hoc scopo ferramenta candentia aliaeque res, quas accensas partibus admouebant, linum crudum, spongia oleo madens, et fungi \*); deinde caustica remedia, quae rodente virtute partes adficerent et purulenti humoris adfluxum concitarent: accesserunt postea vesicatoria, quae cuticulam in vesicam eleuando cutemque inflammando poumouent; denique et fonticuli ac setacea fuerunt excogitata: recentissima aetate etiam modus per scabiei infectionem sanandj morbos inuentus est. De quibus generibus ulcerum artificialium nunc speciatim quaedam exponam, orsus ab igneis medicinae praesidijs; quorum praestantiam uniuersim in hunc modum HIPPOCRATES exposuit: *Quae medicamenta non sanant, ferrum sanat: quae ferrum non sanat, ignis sanat:*

\*) Haec a Graecis Medicis accepta sunt. Aegyptii et Arabes gossypio, sclopeti chordis, et alijs rebus usi sunt, teste PROSP. ALPINO *de Medic. Aegypt. L. III. c. 12.* Sineses et Iaponenses moxa inurere consueverunt, vid. KAEMPFER *Amenit. exot. p. 589.* Lappones articulis dolentibus fungum betulae ignitum imponunt, SCHEFFER. *De fr. Lapp. p. 351.*



nat: quae ignis non sanat, insanabilia existimare oportet.\*).

## §. VIII.

Ad ulcera igne excitanda antistites artis nostrae sine dubio delati fuerunt per casus fortuitos, quibus viderunt homines igne adustos liberatos fuisse a morbis, quibus haecenus laborassent. Non potuerunt eiusmodi casus facile ab hominibus euitari, et cum antiqui ad omnia, quae ad morbos pertinerent, profecto erant attentissimi; necesse erat omnino, ut ignis vim in aegrotis in considerationem traherent. Saltem ex recentioribus WILLISIVS talem casum nobis consignavit de epileptica quadam, quae cum semel sola in aedibus relicta super carbones accensos corrueret, facies ei accipit ita misere concremata sunt, ut cranio cute et carne denudato eschara lata et profunda inureretur, et postea exterior tabula eius ad palmae magnitudinem decideret. Aegrota interim, quamdiu ulcera ab ambustione contracta sanie manabant, paroxysmis caruit; postquam vero ea sanabantur, epilepsia rediit\*\*). Alia exempla, ubi et in aliis morbis ambusta auxilium attulerunt, libens praetereo. Antiquis autem ferrum candens maxime in usu erat in morbis a congestione serosa ortis, arthritide, morbo coxario, rheumatismis, catar-

\*) *Aphor. S. VIII. 6.*

\*\*\*) *Patholog. cerebr. de morb. convuls. C. III. p. m. 28.*





catarrhis, dolore capitis, pituita oculorum, hydropes; deinde in grauioribus neruorum morbis, epilepsia, apoplexia; nec non denique in phthisi pulmonum, tibi semper partibus ipsis laborantibus aut quam proximis ignem admouebant. Tantamque virtutem antiqui experientia ducti expectarunt a candente ferro, ut non prius malum pro insanabili, siue, ut CELSVS loquitur, perpetuo declararent, nisi hoc miserum auxilium experti viderint malum inde non finiri \*). Atque hunc egregium ustionis usum, qualem antiqui praedicarunt, non minus recentiores experimentis suis comprobauerunt, quorum testimonia collegerunt Io. COSTAEVS, THOM. FIENVS, et M. AVREL. SEVERINVS in aureo volumine de efficaci medicina \*\*). Quapropter quam maxime dolendum est, quod nostrum delicatius seculum haec ignea praesidia tantopere abhorreat, cum nec hodie cesset ustio a grauissimis morbis homines liberare, quemadmodum nostra aetate DOMINICVS MISTICHELLI †) et CHR. HENR. ERNDL ††) nulli auxilio maiorem efficaciam quam ferro

\*) vid. *L. de medicin. L. 3. c. 23. de comitali morbo.*

\*\*\*) Addas his aliorum recentiorum obseruationes, CAR. PISONIS in *L. de morb. a serosa colluue oris S. II. P. II. c. 7. obs. 31.* FR. DEKKERS in *Exerc. pract. circa meth. med. p. 108.* IO. ANDR. SLEVOGT *Progr. de fonticulo suturae coronalis insigni viriorum memoriae remedio. Ien. 1696.*

†) *Tr. dell' Apoplessia, Pad. 1714. 4.*

††) *L. Warsov. illustr. Dresd. 1730. 4.*





ferro candenti nuchae aut plantae pedis adplicato in apoplexia adscribendam esse, per experimenta cognoverunt. Quid mirum ergo, quod, ut nihil dissimulemus, antiqui plures aegrotantes a tam atrocibus morbis liberauerint, quam recentiores, haec generosiora auxilia fugientes. Oportandumque inprimis esset, ut qui phthisi laborant, pectus sibi inuri patiantur, non uno quidem loco sed pluribus, ut Celsus praecepit. Atque facile iudicari potest ex effectibus, quos ferrum candens producit, inflammatione cutis, dolore, supuratione, humorumque adfluxu, quam potens atque salutaris esse ipsius actio debeat: maiori enim impetu humores ad adustum locum alliciuntur et per patentem vasorum oras ex corpore effluunt, sicque euacuando ac reuellendo materia morbosa educitur ac e nobilioribus partibus, quibus infedit, ad ignobiliores defertur: dummodo materia morbifica ita comparata sit, ut ab internis sedibus ad exteriores, a nobilioribus ad ignobiliores moueri se sinat.

§. IX.

Postquam aliae res innotuerunt, quas igni ignitisque rebus surrogari posse iudicabant medici, gratiosi quidem minusque crudeles apparentes, iisdem lubenter usi sunt. Quamuis autem eiusmodi corporum plura genera sint, efficaciora tamen ceteris se praebent lapis infernalis, sal illud solidum, metallicum, ex argento cupellato atque aqua forti, solutione atque inspissatione pa-

ra-





ratum; et lapis corrosivus ab HEVRNIO descriptus \*), quem ex lixivio saponariorum per coctionem in corpus solidum coagulatum in vase bene clauso, loco calido ac sicco asseruant, ne per aëris humidum, alcalium more, lique scat et debilitetur. Eiusmodi corporum usus in Chirurgia quidem est amplissimus, quippe ad aperiendos abscessus, fonticulos excitandos, verrucas, tubercula, sarcomata, excrescentias, et scirrhos excidendos usurpantur: non tamen ob has virtutes hic in usum veniunt, licet et hic semper exulcerando agant; sed quod ad non nullos morbos feliciter sanandos per exulcerationem diurnam adhiberi possunt. Atque hac ratione BELLOSTIVS aliquem a surditate, hactenus insuperabili, sanavit, dum processui mastoideo utrinque lapidem infernalem aliquoties admovens usque ad contextum cellulosum exulcerasset, unde elapso mensis spatio et quod excurrit, auditus sensus rediit, postquam copiosa materia effluerat \*\*). Etiam in oculorum morbis BELLOSTIVS eximiam eius utilitatem compertus est, et singulari exemplo comprobavit in milite, cui oculus sine manifesta causa fere ex toto consumtus tabe erat, ita, ut exigua eius portio tantum in fundo orbitae adhuc conspiceretur. Huic ergo, ut sanum alterum oculum conseruaret, utrinque processum mastoideum modo memorato aduri iussit, post aliquot tempus vero oculum ipsum emarcidum quasi

\*) *Method. ad prax. L. I. p. 68.*

\*\*\*) *Vid. Suite du Chirurgien d'Hôpital p. m. 282. seq.*





quasi denuo restitutum inuenit. Testatur etiam BEL-  
LOSTIVS, se aliquando aegro acuta febre cum sopori-  
bus adfecto tale causticum pone aures adplicasse, eo-  
demque adhuc die morbum ipsum cessasse.

## §. X.

Progredior ad vesicatoria, quae cantharidibus \*)  
in furas, brachia, caput, ceruicem, pectus, abdo-  
men, et scrotum coniectis excitantur. Non lubet au-  
tem in praesenti eorundem actionem explicare, sed  
de ulcerum inde productorum eximia virtute et effica-  
cia ad domandos morbos saltem exponere. Igitur ut  
a capite ordiamur, eorum usus maxime celebratur  
partim in neruorum morbis, ut apoplexia, sopore,  
epileptia, mania, partim in congestionibus serosis ad  
caput, cephalalgia et hemicrania. In soporosis adfectibus  
et apoplexia a SEPTALIO vertici et syncipiti fuerunt  
imposita \*\*); et quamuis PISO eadem in lethargo fe-  
brili damnet †), SEPTALIVS tamen nullum praes-  
tantius iisdem se reperisse auxilium testatur ††).  
Epi-

\*) Plura equidem praesidia eiusdem virtutis innotuerunt, esu-  
la, ranunculus, lepidium, damasonium, flammula Iouis,  
euphorbium: sollemne tamen instrumentum sunt canthari-  
des, et in quibus hodie medentes acquiescunt.

\*\*\*) *Lib. VI. caut. 35.*

†) *de morbis cogn. et cur. L. I. c. 2.*

††) *L. V. caut. 44.*





Epilepsiam lymphaticam TRALLIANVS sanauit lepidio vesicante illi loco adposito, a quo aura frigida adscendebat: in idiopathica toti capiti vesicantia adplicari iusserunt PISO\*), RIVERIVS\*\*), et alii, cum hac praeceptione, ut ulcera diu aperta seruentur. In mania eadem summe proficua esse adserit ROLFINKIVS, si scapulis et brachijs admoueantur \*\*\*). Incomparabilem opem vesicantia in contumacissimo capitis dolore praestitisse confirmat SEPTALIUS\*\*\*\*); et TVLPIVS cephalalgiam periodicam per cantharides occipiti admotos se curasse testatur †). Porro vero in oculo- rum vitiiis eximie eadem opitulatur: in lippitudine mirifice profuisse testis est FORESTVS ††); immo ipsam coecitatem TVLPIVS vesicatoriis latis, femoribus impositis, se persanasse adseuerat †††). Dentium dolores vesicatoriorum usu componi, popularis experientia est. In tinnitu aurium et surditate recenti a RHODIO commendantur ††††). Ad pectoris por-

\*) de morb. ex colluu. serof. C. 19.

\*\*) Prax. L. I. c. 8.

\*\*\*) de ord. et meth. Diff. V. p. 23.

\*\*\*\*) animadu. et caut. L. VI. caut. 18. et 55.

†) L. I. obs. 37. Adde etiam M V Y S in prax. chir. ration. Dec. II. obs. 2.

††) L. I. Obs. 11.

†††) L. I. Obs. 10.

††††) L. I. c. 23.





ro adfectus spectata vesicantium virtus, imprimisque ad truculentum illud asthma spasmodicum, praesertim si ex remanente vel regressa podagra prognatum, nihil efficacius \*); deinde ad dolorem acutum in pleuritide leuandum, vesica latiore in ipsa parte dolente applicata; quo sputorum fluxus etiam promouetur et spirandi molestia leuatur: qua in re HIPPOCRATIS monitum sequimur, qui eidem loco, ubi dolor est, adurentia imponi iubet: neque tamen et furis applicata usu suo destituuntur, ex BAGLIVI et TRILLERI experientia \*\*). Atque ut in pleuritide usus vesicatoriorum admodum salutaris est, ita etiam in inflammatione viscerum imi ventris, iecinoris, ventriculi ac intestinorum eadem laudanda habemus cum Cel. PRINGLE †), sic quidem, ut tota pars abdominis, qua late subtrus inflammatio patet, iisdem contegatur. Ad tumorem seroti oedematosum et pustulas prurientes illud obsidens rarior quidem, quod scimus, vesicatoriorum usus est, sed eo magis frequentandus, cum ex Cl. ZACH. VOGELII obseruatione citissimam illa opem adferant, si ipsi seroto adplicentur ††). Vix ulla vero passio est, in qua tam conspicuam opem vesicantia praesent, quam dolores rheumatici et arthritici, potissimumque per-

\*) *M. N. C. Cent. I. et II. Obsf. 164.*

\*\*\*) *L. de Pleurit. p. 54. 76.*

†) *Observ. on the diseases of the Army, p. 168.*

††) *Vid. ej. Beobachtungen, n. 8. p. 37. Rof. 1759. 8.*







pertinax ille ischiadicus dolor, ut adprime certe ad veritatem LENTILIUS scribat: *in Ischiatide, reliquis non iuuantibus, vesicatorium adplico, sed magnum, et vesicam apertam teneo per integros octo vel decem dies* \*). Neque minus vesicantia materiam arthriticam intus retentam vel repulsam ad corporis peripheriam alliciunt, et damna inde oriunda arcent. Isque salubris effectus pariter expectandus est, si in febris acutis exanthematicis et ipsa pestilentiali, materia morbi vel ob languorem retenta, aut non satis cocta, vel ob spasmus retroacta internis partibus incumbit et atrocia ciet symptomata \*\*). Sed diutule in primis in hoc casu alenda sunt, ubi natura perfectam crisin moliri non satis valet, cui egregie non solum stimulo suo succurrunt, oscillationes vasorum augendo atque actiones vitales suffulciendo, sed etiam metuendam metastasin ulcerosam vel ad internas partes vel ad cutis superficiem praeuertendo \*\*\*).

## §. XI.

Sed de vesicantium usu satis dictum est. Pergamus ad fonticulos, qui sunt ulcera minuta caua, cuti arti-

\*) *Miscell. med. I. p. 285.*

\*\*\*) *Vid. BAGLIVI Opp. p. 56. et SYDENHAMI Opp. p. 234.*

\*\*\*\*) *Vid. G. GVIL. FEVERLEIN diss. de ulcerum artificia-  
lium in crisis febrium acutarum imperfectis praeclaro usu.  
Gotting. 1754.*





artificiose variis modis inducta, quo per haec noxius in sanitatis tutelam humor effluat. Quam spectata horum ad arcendos varios morbos in genere facultas sit, Siculorum gens nos edocere potest, qui etiam si sani sint, sibi tamen fieri fonticulum volunt, ut sani conferrentur \*). Quod ad ipsam vero morborum curationem attinet, multiplex omnino et varius fonticulorum usus est. Atque primum in morbis capitis, eorumque doloribus sigillatim fonticulos maximum et mirandum praestare auxilium, SCVLLETVS adfirmare non dubitat \*\*); atque GRIMMIVS obseruatione sua egregie confirmat, qua virginem multos annos cum atrocissimis doloribus capitis, noctu maxime, misere confictatam, fonticulo in capite profundius inusto penitus liberatam meminit †). Neque minus in oculorum affectibus fonticulorum facultas est eximia; ac memorabilis inprimis est HANNEMANNI obseruatio de puero omnimoda oculorum imbecillitate laborante, ut lucem ferre aegre potuerit, qui duobus fonticulis, altero in brachio, altero in pede, excitatis visus claritatem recuperauit ††). Fonticulos insuper in melancholia, mania, catarrhis, paralyfi, auditus difficultate, vertigine, ozaena, poly-

\*) *AQVAPENDENT. Opp. chirurg. I. c. 95.*

\*\*\*) *Armament. chir. T. 43.*

†) *M. N. C. Dec. 1. an. 3. obs. 81.*

††) *Aff. Hafn. T. III. obs. XII.*





poque prodesse, fidem faciunt plures auctores\*). In pulmonum adfectibus magnum et mirandum saepe auxilium fonticuli quoque praestant. Vidit HILDANVS, eorundem beneficio phthificos et semiphthificos, qui sanguinem et pus exspuebant, fuisse sanatos\*\*). Et AQVAPENDENS vidit empyematicum per fonticulum sanitati redditum\*\*\*). SYLVATICVS autem in consiliis suis saepe hoc remedium aduersus palpitationem cordis, spirandi difficultatem, tussim, raucedinem, phthisin et sputum cruentum commendat. Idemque grauis auctor pariter eximie eos suadet ad plurimos abdominis morbos, diarrhoeam, dolorem colicum, nephritidem, vesicae vitia, pollutionem nocturnam, adfectus hystericos, fluorem album, sterilitatem. Superfunt chronicae passiones, quae artus et externum corporis ambitum obsident: et ex his primum commemorandi dolores varii generis. Atque in coxendicis quidem morbo, in quo pridem uestiones commendauit HIPPOCRATES, fonticulos magnopere prodesse, SCVLTI ET WILLISII testimonia demonstrant, quorum ille adseuerat, se sibi ipsi contra hoc doloris genus felicissimo cum successu fonticulum

\*) vid. COEL. AVREL. L. III. c. I. CRATO *conf.* 80. SOLENANDER *conf.* II. Sect. I. SYLVATIC. *conf.* 25. cent. 4. M. N. C. dec. I. ann. 9. et 10. p. 28.

\*\*\*) *Epist.* 49.

\*\*\*) l. c. p. 15.





parasse inter principia musculi gastrocnemii \*): hic vero scribit, se fonticulo in inguine lumbaginem immanem quibusuis aliis remedijs obstinatam, inque alio affectionem ischiadicam inueteratam feliciter sanasse \*\*). Ad haec in podagra fonticulos prodesse, multi confirmant †): et aduersus arthritidem conducere ex exemplo rustici adparet, qui diu arthritide confictatus, ulcere in sura demum adfectus est, ex eoque fonticulum parauit tam salubri effectu, ut ab omni dolorum recursu immunis posthac manserit ††). Praeterea SCVL-TETVS fidem facit, se plures curasse fonticulis, qui ulcera dysepulotica in tibijs habuissent †††). Denique etiam ad pruritum manuum et scroti praesidium esse in fonticulis repositum, GLANDORPIVS et WEDELIVS testantur. Ecce tam spectata virtus est fonticulorum, experientia teste, in varijs passionibus chronicis. Neque vero non ex acutis potissimum in peste eorundem usus praedicatur: idque proprio exemplo HILDANVS prae ceteris comprobare potest, memorans: se peste Bernensi cum uxore quidem morbo correptum, sed non adeo periculose laborasse; et causam in fonticulos reicit, quos in cruribus gestarint, eo quod fonticuli ac fetacea praestantissimum sint praeser-

vati-

\*) l. c.

\*\*) l. c.

†) cf. CAPIVACC. *Secl. I. L. V.*††) *M. N. C. Dec. II. ann. 7. obs. 189.*

†††) l. c.





vatiuum tempore pestis, ut in bina peste obseruauit, ita ut ex viginti sex vix tres obierint, licet perpetuo circa aegrotantes versati sint \*). Ex quibus omnibus luculenter satis apparere arbitramur, quantopere nonnulli olim clari viri, HELMONTIVS, CRAANEN, BONTEKOE, GEHEMA aliique errauerint, qui vesicatoria et fonticulos e foro medico reicere et pro remediis mortiferis venditare haud veriti sunt.

§. XII.

Sed ad setacea transeundum est. Haec quidem fonticulis prorsus virtute aequiparanda sunt, at praerogatiuam tamen aliquam subinde sibi vindicant, dum maiorem suppurationem mouendo humores nociuos copiosius ac valentius eliminant. Nomen habent ea a fetis vel porcinis vel equinis, quas olim per cutem instrumento acuto perforatam, pro purulento fluxu excitando et per aliquod temporis spatium conseruando, traiecerunt. Nostra vero aetate setarum vicem sustinent fila xylina aut tenuiora linteamina detrita. Locus, cui ea applicari solent, commodissimus est in nucha: traieci vero etiam possunt per furas, scrotum, lobulos auricularum, oculi bulbum, ac denique intestinum reftum in fistula ani. Atque horum setaceorum eximium usum permulti clari viri, PARAEVS, FABRITIUS AB AQVAPENDENTE, HILDANVS, SEVERINVS, GLANDORPIVS, WEDELIYS, BARTISCH, SCVL-

\*) Cent. VI. obs. 92.





SCVLTVS, WOOLHOVSIVS, et nostra aetate RYV-  
SCHIVS, HEISTERVS, MAVCHARTVS, BREND-  
LIVS in grauissimis capitis, neruorum, oculorum ac  
thoracis morbis, aliisque passionibus, quae partes ex-  
ternas et artus obsident, experimentis suis comproba-  
runt. Multa potissimum de ipsorum saluberrimo ef-  
fectu HILDANVS prodidit, qui exemplum habet de  
cephalalgia adeo rebeli, ut nec internis, nec ipsis  
narcoticis potuerit mitigari, setaceo autem facto sen-  
sim conquieuit\*). Casum etiam exponit diurni do-  
loris, qui setaceo leuatus statim, et mutato setaceo in  
fonticulum penitus profligatus fuit. Quibus accedit  
memorabilis RYVSCHII *obseruatio XL.* de rebeli ce-  
phalaea, quae setaceo admoto cessauit, hoc consolidato  
recruduit, denuo excitato rursus euauit, iterum  
coëunte tertia adhuc vice repetiit. Et atrox ille epi-  
lepticus morbus hac noxiae materiae per setaceum sub-  
tractione tam egregie, quam vix ullo alio auxilio ex-  
pugnatur, quod pariter HILDANVS exemplo com-  
probat, restatus se epilepsiam quotidie accedentem per  
setaceum vidisse sanatam\*\*): puellam etiam 18 anno-  
rum ab ipsa infantia epilepticam solo setaceo se resti-  
tuisse scribit\*\*\*). Porro in apoplexia praecauenda  
et

\*) *Cent. IV. obs. 6.*

\*\*) *Cent. I. obs. 41.*

\*\*\*) *Cent. IV. obs. 81.*





et curanda conuenire fetaceum, late probat HORSTIVS \*). Meminit autem medici cuiusdam GVID. DE CAVLIACO, qui per fetaceum curauit maniacos et vertiginosos \*\*). De paralyfi fetaceo sanata unus ex commilitonibus meis Cl. CRAMERVS singulari disertatione propediem expositurus est. In oculorum quoque affectibus spectatam esse fetaceorum virtutem, medicorum experimenta permultis exemplis confirmant: quorum aliqua saltem hic in memoriam reuocabimus. HILDANVS duplex consignauit exemplum ophthalmiae post variolas fetaceo discussae †): ubi etiam puellam memorat, quae prae defluxione ac inflammatione oculorum visum plane amiserat, fetacei autem beneficio videndi facultatem in eo oculo, ubi tunicae nondum exesae et corruptae erant, recepit. Memorat quoque ille, se cuidam, qui visum pene perdidit, eadem ratione ita opem attulisse, ut elapsis iam decem annis, sexagenario maior, optime sine perspicillis viderit ††). Quin ipsam fistulam lacrymalem traiecto in ceruice fetone bis se consolidasse refert †††). Guttam serenam WEPFERVS se quater vidisse hoc auxilio  
sa.

\*) *L. II. obs. 14.*

\*\*\*) *Tr. 7. doctr. 1. c. 3. f. 119.*

†) *Cent. I. obs. 42.*

††) *Epist. 59.*

†††) *Cent. IV. obs. 19.*





fanatam memorat \*). Eundemque usum confirmat experientia sua SCVLTVS \*\*). In suffusione imminente nullum magis praesentaneum remedium reperiri scribit MERCVRIALIS, quam setaceum \*\*\*). Notabilem denique casum habet PARAEVS de coecitate setaceo curata, hoc sublato reuersa et repetito demum rursus fanata \*\*\*\*). Setacea auricularum commendatissima fuerunt WOOLHOVSIO ad fanandos varios oculorum adfectus; et MAVCHARTVS testatur, se hoc auxilio antiquas et rebelles oculorum fluxiones, ophthalmias varias, ulcera et maculas corneae, aliis selectissimis remediis inuisita mala, exoptatissimo cum successu expugnasse †). Thoracis morbi porro permulti graues setaceo fanati sunt. De his HILDANVS adfirmat, se eorundem beneficio phthificos et semiphthificos vidisse fanatos ††). Quin exemplum adfert matronae, quae materiam purulentam ac sanguinem expuit et in hecticam cum totius corporis extenuatione incidit, setaceo tamen cum omnium admiratione fanitati perfecte reddita est †††): nec non antistitem a catarrhis pulmonum tabem

\*) *Obs.* 182.

\*\*) *Arman. chir. obs.* 34.

\*\*\*) *L. I. conf.* 87.

\*\*\*\*) *Opp. L. 9. c.* 24.

†) *Diss. de setaceo nuchae, auricularum, ipsiusque oculi.* Tub. 1742. §. 12.

††) *Cent. I. obs.* 41.

†††) *Cent. III. obs.* 38.





tabem inducentibus setaceo liberatum esse prodidit \*). Confirmavit etiam B. BRENDelius, quem Praeceptorem me habuisse venerabundus glorior, non uno experimento hanc egregiam setacei in phthisi aequae ac in hectica efficaciam, et probe animadvertit, a prima statim puris in ulcere artificiali generatione sudores colliquativos imminui, posteaque ex toto finiri; eoque facto, etiam tussim ac demum quoque febrem leniri \*\*). In coxendicis dolore exoptatissimum auxilium, teste RIVERIO, magnae profecto auctoritatis viro, setaceum per suras traiectum attulit †). De setaceo oculario, a Chinesibus et Iapanensibus satis frequentato, in Europa vero vix cognito, WOOLHOVSIVS fidem facit, quod ad hydrophthalmiam, cataractam, glaucoma incipiens et plures alios oculorum morbos egregie proficiat ††); siquidem emunctorio hoc artificiali successe huiusmodi humores vitiosi, crassi, impuri, sanguis extravaasatus, pus, nimia humoris aquei quantitas euacuantur, vascula sanguinea choroideae, uveae, retinae infarcta deplentur, tunicae arachnoideae et vitreae absterguntur; immo nervi ipsi oculi, opticus praecipue, ab infarctu, pres-

\*) *Epist. 66.*

\*\*) *vid. Diss. de phthiseos hecticaeque discrimine et setaceorum utrobique usu, resp. IO. HENR. RIEPENHAVSEN. 1754.*

†) *Cent. III. obs. 100.*

††) *vid. Ej. differr. critiques et scavantes.*





pressionem, tensionem liberantur \*). Atque tot insignes fetaceorum facultates nos omnino cogunt, ut ab eorum partibus, qui ea tanquam ineptum ac inualidum remedium reiiciunt, stare profus nequeamus.

§. XIII.

Denique insitionis scabiei mentio iniicienda est, tanquam nouissimae methodi, exanthemata scabiosa in aegrotis excitandi, qui neruorum morbis adfecti sunt. Pluribus iam obseruationibus habemus compertum, quales et supra fuerunt excitatae, quod scabies sponte orta pertinaces morbos soluat. Maxime itaque probabile erat, et insitione scabiei excitari atque propagari posse in humoribus talem dyscrasiam, unde scabies possit efflorescere. Nemini tamen adhuc in mentem haec res incidit, praeterquam *Experientissimo* MvzELLIO, qui non solum in stupido ac melancholico homine hanc insitionem, efficacissimis remediis frustra adhibitis, tentauit, sed eundem etiam intra nouem dies quam felicissime restituit \*\*). Dignus omnino casus est,

\*) vid. MAVCHARTI *diff. cit. qui et optime modum hoc fetaceum iniiciendi descripsit* §. 21.

\*\*\*) vid. *Diff. exhib. casum stuporis, scabiei inoculatione curati, respond. IO. VLR. TOGGENBURGER. Argentor. 1760.*





est, qui hic paullo plenius commemoretur. Adolescens 28. annorum, temperiei melancholicae, aduersa suorum fortuna in moerorem grauem coniiciebatur, unde lassus atque torpidus toruo vultu alios intuebatur, ad eorum quaesita vel inepte vel prorsus non respondebat, nullo plane obiecto commoueri videbatur, pali instar lecto infidebat, luminaque solo adfigebat. Facies eius pallefcebat et corpus summa macie conficiebatur. Pulsus erat tardus atque debilis. Fames ac sitis aegrum vexabat, ita ut non nisi incitatus cibum potumque sumeret, nec bidua aut tridua abstinentia ad expetendos cibos alliceretur. Minis, virgis, acubus tentatus vix leuem doloris sensum indicabat. *Cl. MVZELL* inde ab anno 1754. quo aeger in nosocomium regium Berolinense delatus erat, nihil quidem intentatum relinquens, sanguinis missiones, salia media, in primis tartarum tartarificatum, volatilia, camphoram, olea destillata &c. singula quidem maxima dosi decernendo quaeuis incassum administravit. Tartarus emeticus ad gr. XXV. datus unicum tantum vomitum excitauit. Fortissima vesicatoria perperam in furas coniiciebantur. Balneo aquae frigidae immerfus aeger tum demum aliquam sensationem prodidit, cum ad suffocationis usque metum sub aqua detineretur. Neque magis ab aqua frigida capiti raso instillata, neque vitta e glacie facta capitiq; imposita excitabatur. Simul atque vexationes desinebant, in soporem recidebat, editis tantum momentaneis quaerimoniis sub vexatione. Tandem *Cl. MVZELL* materiam scabiosam ipsi inoculari





lari curauit, sic ut cute in brachio et cruribus phlebotomo profundius incisa (quo aeger pariter haud mouebatur) vulneribus materiem e pustulis scabioforum destigmatam immitteret. Quo facto, altero die pulsus iam vegetior explorantis digitum feriebat, tertio febris emicabat, quarto eadem incresebat, adeo, ut vix celeriore pulsus *Cl. MVZELL* se deprehendisse unquam in febre adfirmet. Quinto et sexto die morbus in vigore persistebat, ac simul inquietudo notabilis, anxietas, crebra suspiria cum laboriosa respiratione aderant. Septimo et octauo die aestus paullum remissus, sudore aliquatenus corpus maduit et sparsim in cute pustulae minutae rubrae apparuerunt. Die nono loquela et rationis usus rediit, indeque febris cessauit et pustulae exsiccabantur. Aperto cibo potuque refectus aeger tertia ab infitione hebdomade nosocomium sanus reliquit. Apparet exinde, quam efficax atque salutaris sit scabiei infitio, qua nos febrem quidem tam validam excitatum iri non credidissimus, nisi experientia id monstrasset. Quamuis ergo credibile est, febre magis quam exanthemate scabioso dispulsus fuisse neruosum morbum; tamen videtur cor fortiori stimulo miasmatis scabiosi tantopere excitatum esse, ut si hoc defecerit, forte sola febre sponte orta morbus dispelli haud potuerit.







## §. XIV.

Atque haec quidem de facultatibus ulcerum artificialium dicta sunt. Quamvis vero ad multos graues morbos eadem eximie prodesse compertum sit, haud tamen existimandum est, ea semper et ubique speratum effectum edere. Vt enim omnium remediorum, ita horum quoque facultates admodum limitatae sunt, sic ut non semper ac ubique morbos superare valeant: id quod ideo monendum duximus, ut ne quis ipsorum effectu frustratus inter superuacanea inutiliaque remedia ea referat.



THIE-





THIELIO SVO

S. P. D.

IOANNES GEORGIUS ROEDERER.

*Si qui TE usi sunt familiariter TIBIQUE bene cupiunt, justas habent de praemiis diligentiae, quae ordo noster TIBI decrevit, laetandi rationes, me sane in iis locum tenere oportet. Ex quo enim, relicta angusta urbe Petropolitana, quae patria TIBI contigit, in hanc academiam meumque hospitium venisti, quotidie et singularem ingenii TVI praestantiam et constantem illam ac perpetuam in tractandis litterarum, quibus nostra ars colitur et perficitur, studiis assiduitatem cognoscendi habui occasionem. Haec quidem tanta fuit, ut quatuor annos nobiscum esses; praestantissimum fratrem ad eadem studia arcesseres;*  
nec





*nec tot tantisque difficultatibus, quibus res nostrae afflictæ fuerunt, laudabilem industriae VESTRAE cursum impediri, aut Vos ipsos a nostris musis divelli patereris. Nec ingratas erga TE illas unquam futuras esse metuo, sed laeta mente paratas eas promtasque esse video ad TE ornandum conferendosque TIBI honores, quos possunt, maximos. De quibus quam TIBI gratulor: tum eos viam quasi ad ampliora doctrinae virtutisque TVAE praemia communituros esse, eo certius auguror, quod clarissimis specimibus perspectum mihi est, quam apte quamve expeditè TE ad varias artis medicae partes ipse exercueris. Ita quidem fore spem habeo, et ut par ei sit eventus, Deus efficiet. Dab. Gotting. d. 25. Aug. 1761.*





AMANTISSIMO THIELIO SVO

S.

RVD. AVG. VOGEL.

**V**ota ultima pro TUA, TUIQUE carissimi FRATRIS,  
 statim post TE eandem cathedram conscensuri,  
 incolumitate, fortuna, fama, a me accipe, comitata  
 nonnullis praeceptis monitisque ex antistitis nostrae  
 artis Hippocratis thesauris aureis; in quorum studiosa  
 observatione votivam vocem quam felicissime expletum  
 iri, certissime auguror. Nulli rei scilicet unquam ma-  
 jorem operam adhibete, quam exactae morborum cogni-  
 tioni, utpote quae dimidia eorum curatio est. Nulli non  
 morbo continuo exercitio, et assidua librorum ac viro-  
 rum doctorum cultura praeestote. Opportunam operan-  
 di occasionem nunquam negligite; hac enim neglecta  
 plurimi pereunt. Praedictiones malas magna cum cau-  
 tela facite. Non solum vero naturam et medicinam  
 recte





recte comprehendite, sed estote etiam modesti, taciturni, iusti, casti, sobrii, aliisque bonis moribus et requisitis necessariis instructi, decenter etiam vestiti, ut Medici docti ac frugi homines. Fallaces ac erroneas affirmationes, quae fiunt cum garrulitate sine fundamento, veluti idiotarum, abominemini. Ceteroquin sciatis, Medicum non nisi fundatum vere fortunatum esse, et qui recte operatur, tam cum, quam sine fortuna (quae tamen spernenda non est) sanos facere. Omnium maxime vero piissimum praeceptum ducis nostri nunquam non meminere, convenire Medico, ut non solum iis opituletur, quorum curam gerat, sed et horum causa DEVM invocet, quod orare decorum sit ac valde bonum. Scrib. in Georg. Aug.

M. Aug. MDCCLXI.





Dis. med. Halle,  
Med. Diss.,  
6. 1758-68.




SB

Rho ✓









DE  
 NE MORBORVM  
 ALI PER VLCERA

CONSENSV  
 MEDICORVM ORDINIS  
 DV DOCTORIS

CONSEQVENDO  
*Sent.*  
 M. AVGVSTI clo MCC LXI.  
 LICE DISPVTABIT  
 LVDOVICVS THIEL  
 PETROPOLITANVS.

OTTINGAE  
 OCKWITZ - BARMEIERIANIS,

